

**Panegyricus memoriae ... Justi Godofredi Günzii ... / dicatus et dictus  
publice in Academia Lipsiensi.**

**Contributors**

Bose, Ernst Gottlob, 1723-1788.  
Universität Leipzig (1409-1953)

**Publication/Creation**

[Leipzig] : [Langenheim], [1755]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/exk68dbz>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

P A N E G Y R I C V S  
M E M O R I A E  
V I R I

ILLVSTRIS EXCELLENTISSIMI, EXPERIENTISSIMI  
A M P L I S S I M I

D. IVSTI GODOFREDI  
G V N Z I I

SERENISSIMI POLONIARVM REGIS  
ELECTORIS SAXONIAE CONSILIARI  
AVLAE ET IVSTITIAE ATQVE ARCHIATRI,  
ACADEMIAE LIPSIENSIS PROFESSORIS ANATOMIAE  
ET CHIRVRGIAE PVBLICI ORDINARI FACVLTATIS  
MEDICAЕ ASSESSORIS, COLLEGII MEDICO  
CHIRVRGICI DRESSENSIS PRAESIDIS, AB ACADEMIA REGIA  
SCIENTIARVM PARISINA, ET ACADEMIARVM REGIARVM  
SCIENTIARVM ET ARTIVM ROTHOMAGENSIS ET  
SVECICAE STOCKHOLMIENSIS SODALIS.

DICATVS ET DICTVS PVBLICE  
IN ACADEMIA LIPSIENSI


A. D. XXI. IVNII A. O. R. CICIOCCLV.

A B

ERNESTO GOTTLÖB BOSE  
PHIL. ET MED. D. BOTANICES PROF. PVBL. FAC. MED. ASSESS.

---

L I P S I A E  
EX OFFICINA LANGENHEMIANA.





# RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE

VIRI SVMME REVERENDI  
ILLVSTRES CONSVLTISSIMI EXPERIENTISSIMI  
DECANE SPECTABILIS  
EXCELLENTISSIMI AMPLISSIMI, CLARISSIMI  
PATRONI ET FAVTORES OMNI  
HONORIS CVLTV PROSEQVENDI  
GENEROSISSIMI NOBILISSIMIQVE COMMILITONES  
AMICI HUMANISSIMI SVAVISSIMI



uodsi vlo tempore, quo ex hoc loco verba facta sunt, timoris aliqua aequa ac terroris caussa extiterit, hoc profecto haud leuem mihi creat dolorem, qui eum valide reprimit animi sensum, quem loci dignitas reique grauitas expostulat. Dum enim omnium, qui hic praesentes sunt, intueor faciem, aliquam tristis euentus imaginem depictam esse sentio,

## IV

qui me dicturum, ut inhorrescam, non potest non cogere atque impellere. Et vere illum acerbum fuisse, recordatio hodierni diei, lugubris adniendum sistit, quippe qui ante annum meritissimi de re litteraria, et de PRINCIPIS SERENISSIMI salute ipsiusque curia nobili simul studio occupati viri, vitam abstulit subito, et ratione, si recte iudico, praematura. Est autem ille i v-  
S T V S G O D O F R E D V S G V N Z I V S, qui ex haud ignobili Misniae oppido, Koenigsteinio ortus, quam patriam suorum corruscantem meritis, illustravit magis magisque, qui parentis fideli usus institutione, a teneris vnguiculis, qualis fit futurus, declarauit luculenter, qui sua in studiis peruestigandis solertia, in scholis aliis praeeundo, animum optimis doctrinis, plenum, reddidit, eumque in academia nostra expoliuit sic, ut doctoribus carus, commilitonibus amicus, paulo post discipulis acceptus euaderet; qui iuuenili adhuc constitutus in aetate, vicesimo nempe quarto anno, publico iam admotus muneri ita ipsi praefuit, ut dignus iudicaretur, qui proxime ordinariae, quam vocant, professioni praeficeretur: qui nec hoc defunctus diu munere, P O T E N T I S S I M I P A T R I S P A-  
T R I A E nutu ipsius saluti prospicere iussus, summam prudentis medici laudem est consequutus. Hunc, Auditores, virum variis grauibusque muneribus defunctum, publice depraedicare luctus moerorque vetant, quod vix percepta, quam exoptato videbamus accedere gressu, felicitate, mentis nostrae, omnium singulorumque, aciem perstringente, eam euanuisse mox deperditamque fuisse experiri cogamur.

Sed,

Sed, si recte cogito, nullam putant aliqui iustum dolendi superesse caussam; vitam enim breuem, praestanti contigisse medico, rerum, quae ad corporis humani cognitionem pertinent, perspicacissimo, verentur, ut gloria existere possit, quod ex communi quadam opinione talis a perito desideretur medico perspicientia, quae in rite disponendis ordinandisque vitae conseruandae regulis perpetuo occupetur. Est namque medicinam docentium facientiumque commune hoc officium, ut, quaecunque ad vitam diu feliciterque ducendam pertinent, sanitatis praecipue in conseruationem directum studium, egestie calleant, illudque in suo potissimum corpore ita adhibeant, ut faciles arceantur noxae, firmumque id euadens durioribus resistat appellentibus caussis, vitamque confirmet. Quo facto praeuisa quasi irruentium aerumnarum tela elidi et vacillante sanitate stabilita, longinquieris vitae spes iniici debet. Possemus eapropter arbitrari, eum demum genuini sibi arrogare posse medici titulum, qui ita in sui utilitatem vitae caussas direxerit, ne praecipi cef sent cursu: illum e contrario suspicionem, minus rite applicatae scientiae, mouere, qui inter vegetas iuuentutis vires supprimi se patiatur. Fateor, subest aliqua dubitatio nem mouendi species in eo argumento, cui eapropter assentiri facile est, quod machina corporis nostri, certis legibus adstricta, iisdemque parens, non videtur, nisi seram tantum destructionem eamque funestam posse pati, praesertim eo si obseruetur modo, ut a praefixo sibi trame recedere nequeat interna partium dispositio. Hic labor hic opus est, medici, praecauere, mitigare, remo-

## VI

uere, fugareque eum lapsus decet. Sic putatur, si contra factum fuerit, culpa redarguere medicum creditur.

Luctuoso autem nobis fato ereptus est GVNZIUS noster, quadragesimum demum agens annum, morbo graui et periculoso, cuius insidiosos impetus praeuiderat praecauere aut repellere vix poterat. Absit hunc deplorandum nobis casum ex minus recte pensitata nonnullorum opinione ignominiosum ipsi existere posse, qui nos, recordantes, inter cancellos aequi iudicii ut retineamus, vix permittit. Talem nempe casum, qui virum, animi candore, scientiarum et rerum varii generis intelligentia clarissimum, e medio sustulit. Abstulit eum negotiis peragendis accinctum; negotiis nobis omnibus singulis que maxime proficuis futuris, deuotissimam SAPIENTISSIMO PATRI PATERIAE, DOMINO NOSTRO INDVLGENTISSIMO, cuius summa vtebatur gratia, boni ciuis functum officio, demonstraturum reuerentiam. In itinere nimirum eum in dissitas Sarmatarum regiones alacri animo secuturus, repentina corporis morbo oppressus, succubuit. Iactura haec non vnam ob caussam grauis euasit vixque ferenda; fecit illam, vt alia praeteream, ingentem nostra, cui aliquam suae operae dicauerat partem, academia; noster non minorem perpessus est ordo, cui et intererat et cui consiliis, ex doctrinarum suarum fontibus deriuatis, succurrebat.

Omnes, cum quibus humaniter vixit, et quot eorum sunt! recordantur illius praeteriti temporis spatium, quod suauiter eos coniunxit, quod tristem praecipitis renouat discessus memoriam. Intolerabilis tamen medico existebat

## VII

existebat ordini, quod breui admodum temporis spatio et intra septem tantum annos, eruditissimorum, exterorum etiam testimoniis habitam, trigam virorum, W A L-  
THERVM, PLATNERVM tandemque GVNZIVM,  
omnes nostros, erectos sibi, luget.

Si quidem est in dolore, saepius recrudescente animum hebetandi sensumque reprimendi potestas, quam experientia videtur insuper confirmare illorum exemplis morborum, qui continuis et exasperatis saepe cruciatus miseros torquere solent mortales, in quibus nempe sensim aliqua ad eos tolerandos inducitur consuetudo, videri vtique posset, nouus aliquis adueniens impetus vim minus percipiendam fecisse peccusque iam male habitum, nostrum mitius feruisse: sed si e contrario vulneris, vix personati, nouas delicatulasque adhuc partes non irritat, sed fere conquassat superueniens casus, calamitatum noua sequitur propago, eaque molestissima aequa ac difficillima. Compescere adhuc tentabamus grauissimas nobis infictas plagas, componere annitebamur percussum animum, en! refulgebat spes, deperditorum virorum iacturam resarciri videbamus, viro prudente, perito, laborisque studiosissimo, GVNZIO nempe nostro, etsi eundem breui post, ad POTENTISSIMVM NOSTRVM REGEM, Dresdam euocatum magno tandem prosequi liceret desiderio. Demulcebamus tamen et tunc, cum in iuniore, incolumi, labores non detrectante viro haud inanem reponendi fiduciam inueniremus opportunatatem, freti, fore, vt tunc etiam, excelsiore constitutus in loco, cuncta eum directurus sit  
in

## VIII

in finem, ut, quae dignitate ornatis, principibusque caris solet esse viris propensio iuuandi, nobis quoque sit fructuosa exstitura. Sed eheu! praecepiti spes omnis concidit motu!

Quo diutius itaque haec omnia mente voluo, eo magis iam afficiar animoque linquor; lubentissime profecto eo, quo nunc fungor, caruissem officio. Demandatam enim mihi prouinciam aegre subii, qui B. G V N Z I V M praceptor olim, mox fauentem habui amicum, cuius in scientiis medicis progressus mirari, imitarique, quantum in viribus repositum fuerat imbecillibus, studui; in quo iam collaudando mihi elaborandum est, quem laudasse alius ingenuus quilibet sibi duxisset honori, cum a viris laudatis laudem proficiisci non vltima laus sit. Huic autem perficiendo operi me minus esse idoneum mearum virium, siue ad dicendi ineptitudinem, siue ad meritorum extollendorum dignitatem respexerim, suadet debilitas. Relinquere tamen inceptam telam vix permittit pietas, admirandam potius et singularem in prosequendis suis officiis assiduitatem magnum reddidisse G V N Z I V M inuenio, quem dum diutius interesse mortalibus noluit summi numinis voluntas, non abstulit officiorum neglectus, non suppressit culpa. Iunior aetate, senex exstitit promeritorum copia, ut nulla ex aetatis breuioris disrupto filo in eum cadat ignominia, quae eos demum possit lacescere, qui oscitantius suis inhaerentes laboribus cum vita fugere debent ex hominum memoria. Quodsi hoc demonstrauero, puto, Auditores, me huic non plane indignum fuisse prouinciae praefectum.

Decla-

Declarare itaque animus est, iunioris meritique medici mortem praematuram omni carere vitio, idque ex vita NOSTRI, in quam intueri rerum peractarum copia nos iubet, deducere et praeclaro eiusmodi exemplo illustrare corroborareque annitar. Tantam autem dicendi vbertatem haec mihi suggerit occasio, vt exitum inuenire difficile mihi sit futurum. Vesta itaque, RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE AUDITORES OMNIVM ORDINVM HONORATISSIMI VIRI DIVINA HVMANA QVE SAPIENTIA CLARI, humanitate suffultus, differendi infacundia de praeclaro dicturus viro, eam, quam temerarius contrahere possit ausus, a me remouebit etiam ignominiam. Animis linguisque fauete.

Cum multa sunt, quae a medico, saluti hominum prospicienti, requiruntur, tum nihil praeclarus, quam quod eam sectetur sibique comparare annitur cognitionis perfectionem, quae huic obtinendo fini maxime sit accommodata. Amplissima quidem diuersissimarum rerum peruestigandarum copia mox ab initio trepidum eum reddere posset, earum scilicet, quae in contemplanda aequa ac facienda scientia medica occurrunt, quarum aliae ad ornandum, aliae ad perficiendum verum medicum pertinent. Earum tamen omnium magnam in NOSTRO GVNZIO fuisse cognitionem, neminem vnquam dubitaturum esse praeuideo, nisi qui hospes in omni re litteraria accesserit. Supersedere itaque in eo laudando me facile posse auguror, si, quae eruditum perpon-

## X

liunt, ab eo fuisse studiosissime obseruata et adhibita, ex doctis, relictis nobis ab eo, in rei testimonium demonstrauerim monumentis. Linguarum scilicet peregrinorum, quarum ope, quid ab exteris fuerit in scientiis elaboratum, ex purissimo potest fonte hauriri, tenera iam aetate ita peritus extitit, ut in suscepis posteriori tempore ad extera loca itineribus cum doctissimis non solum versari viris, sed eorum etiam praecepta penitus percipere, suaque facere quam commode posset. Quibus earum etiam, quas eruditos tantum decere nostris temporibus arbitrantur nonnulli, subiunxit peritiam, vrpene familiares ipsi euaserint, vt latini sermonis comitate et elegantia quadam vteretur, quae audientium legentiumque aures suauissima demulceret voluptate, cuius et graecarum litterarum perspicientia eum idoneum redderet, ad absconditos dictio[n]is thesauros recludendos, difficiles auctorum locos illustrandos, et doctrinae traditae veri falsique naturam dilucidandam. Hippocratem praecipue amabat, vt de dissectione libellum, de humoribus purgandis opus elegantissimo doctissimoque commentario explicaret, Duretum, inter Gallos haud incelebrem, eidemque operi insudantem superaret et omnium, qui harum scientiarum aliquam laudem tenent, summas indispiceretur gratias. In antiquitatum, quas vocant, rei que litterariae perscrutatione tantum pollebat, vt opus de re medica, Plinio Valeriano adscriptum, ipsi non tribuendum esse, haud improbabili consequeretur coniectura, vt facum in sacris Aesculapii usum, copiosa eruditio[n]is

ditionis variae demonstratione confirmaret, vt ex Celsi, Aetiique scriptorum, quae meditabatur, noua editione spes existeret necessariarum doctrinarum longe accuratioris aptiorisque, ac factum esse scimus, explicationis. Omne proponendum historiae, quae medicorum medicinaeque fatorum mutationes explicat, ambitum ita emensus fuerat, vt in eius, non solum discipuli, sed exercitati etiam in arte viri, iudiciis lubenter acquiescerent. Quam multis autem obsita haec sit disquisitio difficultatibus, leuissima iam monstrat varietatis rerum contemplatio; cuncta enim colligenda, enucleanda, dirigenda tandemque apposite dilucidanda sunt, quod unicum requireret, soli huic scopo affixum hominem, qui sciat tot seculorum mutationes complecti memoria, exasciatoque iudicio rimari. Sed animum tantum recreandi haec se peruestigasse vltro confitebatur, quod nec gloriolae captandae caufsa ab eo factum fuisse patet ex aliarum doctrinarum, quae videntur nobiliore loco habendae esse, indefessa perscrutatione. Id autem reportauit inde, vt in exponendis diuersis medicinae capitibus, quid olim cognitum fuerit, quidque recenter accesserit, et pro nouo venditatur, subtiliter possit discernere.

Sed hisce adminiculis ornatus et elegans quasi medico inducitur forma, qui superficie corporum considerationi possit aequiparari, quam, si quis tenuerit, non possit naturam indagasse dici. Verum quidem est, si leuiter haec pensitemus, nec quales in penetralibus

## XII

doctrinarum recludendis vtilitates producere haec possit cognitio, rite si applicetur, rimemur. Delectat primo, vidisse sensim, acri iudicio adhibito, obscura in lucem protracta, verissima quae habita sunt, ambigua tandemque falsa fuisse reddita, perspexisse deinde, quibus modis ad plenioram veritatis cognitionem accesserint homines, iuuat autem simul et vere conductit, tramitem detexisse, qui ad veritatem ducat, quem indefesso sequentes studio sine erroris metu ingrediamur. Eiusmodi itaque opera, quae Clericos, Freindios, Schulzios, Kestneros solos occupatos tenebat perpetuo, nec iuueniles tantum, sed ad senectutem etiam accedentes annos laboribus obruebat, quum celeberrima eorum inter eruditos effecerit nomina; quid N O S T R O G V N Z I O illud demum, quod reliquis detrahebat scientiis, tempus impendendo laudis conciliare debeat, ipsi iudicate, H V M A N I S S I M I A V D I T O R E S . Haud paucos enim nostra fouet academia viros, huic intentos scopo, qui, num recte sentiam, suo comprobabunt suffragio, praecipue, quod eorum etiam saepe conuentibus specimina suae cognitionis daturus, interfuerit N O S T E R .

Ad interiorem tamen medicinae cognitionem magis pertinet studiosius naturae et diuersorum eius corporum scrutinium, vt hoc demum, quantum per vires hominis licet, si pensitatum fuerit, sit felicem in exercenda medicina redditurum medicum. De hoc itaque vulgus si opiniones eius audimus, plerumque iudicat, non nisi annorum seriem limatam et humano generi, quae con-  
ducere

## XII

ducere possit, scientiam comparare, ex quo sponte consequatur, vt in omni iuniore medico ea abesse debeat scientia, quae egregia quaecunque promittat. Et haec, nisi fallimur, fertilis admodum praeconceptae scaturigo est sententiae, ex qua praematura mortis medici ignomonia fluat. Si qua tamen in aliquos forte inde deriuari possit, quam arctissimis circumscribendam cancellis eam esse, illustri suo exemplo denuo demonstrauit N O S T E R.

Nullum quidem a sapientissimo auctore naturae corpus formatum esse deprehendimus, quod praeter mirandam suae compositionis rationem non simul sibi aliisque inferuire possit commodis, nullum etiam quin de sanitatis conseruatione et restitutione sollicito medico ex optatam praebat occasionem, ex adhibita peruestigatione plenas vsus inueniendi diuitias. Ex omnibus autem ea sane est praecipua disquisitio, quae hominem attinet, cuius cauſa reliqua cuncta se effecisse effatur omnipotens rerum artifex. Cui eapropter cum dicauerit suam operam medicus strenuo, omni suo satisfacit officio, et ad talem peruenit cognitionem, quae successus prosperos et felicitatem in facienda quoque medicina promittit. Licet itaque totius naturalis, vt vocant, historiae in animalibus, vegetabilibus et mineralibus occupatae, nullam negligenter tractaret partem ILLVSTRIS GVNZIVS, sed omnibus vacaret, et in suscepis quoque itineribus omnes, quos adeundi facultas dabatur, viros in colligendis rebus naturalibus assiduos, consuleret, penitorem rerum cognitionem acquisiturus; in corpore humano

## XIV.

cognoscendo plenissime tamen desudabat, sic, ut nullis, quae post mortem cadavera indesinenter manent, arceri se pateretur incommodis. Loquuntur et manifesto id explicant, tum olim in nostra vniuersitate discendi caufa suscepti labores anatomici, tum strenue continuati Argentorati atque Lutetiis, confirmingant aliorum, et eorum quidem, qui in sua scientia sibi solis quandoque placent, dissectorum peritissimorum testimonia, tandemque confirmant elegantissimae et subtilissimae scientiae anatomicae specimina, quae vltimis demum annis, quibus docendi muneri in academia nostra praeficiebatur, edidit artis studiosis et miranda proposuit doctoribus. Omnem enim pertractabat anatomen, vt in nulla eius parte quidquam desideraretur, ossium scite resolutebat compositiones, interiorem eorum sectabatur structuram; palam faciebat profunde recondita, et, sibi natura monstrante viam, inde colligebat, quae hisce conseruandis et restituendis, si affligantur, sunt necessaria. Ne vero adulatoris videar speciem assumpsisse, quod quidem vitium a me longe alienum esse semper studeo, prouoco ad omnes, qui instruetissimam ossium eius collectionem, maximam partem proprio studio acquisitam, viderunt, cui non, quae saepe occurunt, sed quae rarius etiam deprehenduntur et variantem monstrant naturam, adiuncta fuisse uberrime obstupesceramus. Vix autem opus est hoc, praeclaro licet testimonio, idem scripta haud obscure docent, quae in omnium versantur manibus, publico subiecta iudicio, in quibus diuersarum anatomicarum scientiarum apparatus

in

in communem tradidit usum. Maxillae articulum et inde pendente varium motum, nitide adumbravit: Vasorum, quae sanguinem in se continent, itinera, nostris quidem temporibus, Ruyschiano artificio melius ac olim cognoscuntur, inter reliquarum autem partium strata ita directa sunt, ut suspensa quasi extricari debeant manu, in iis tamen peruestigandis nulli parcens operac, arteriae maxillaris internae ex ossibus etiam exsoluit ramificationes, eiusdemque communem distributionem ita explicauit, ut ante eum nemo fere melius. Sanguinis per durae meningis sinus motum speciatim declarauit, minorum etiam, quae ab haud paucis praeteruisi fuerunt, ramulorum numerum, originem, terminum, quantum in illis rebus valet oculorum acies, striete determinando et durae cerebri matris venas explicando sollicite. In hepate institutas obseruationes, venae portarum ramificationes omnes, et eas quoque, quae ad ligamenta eius et vela-mentum diriguntur, primus accurate docuit et pauca in sinistro eius ligamento, a Ferreno detecta, confirmauit. His porro et aliis pluribus in anatome subtiliore factis obseruationibus inclaruit breui, ut exteræ etiam gentes, quo suum sibi redderent, societatibus sic dictis sci-entiarum illum adsciscerent vltro, quam sibi beneuolen-tiam factam, non immemori tulit animo, eorum potius iudicio nouas aliquas adnotationes subiecit, prout ea, quae in commentariis académiae regiae scientiarum, quae Parisiis floret, et iis quidem, quos ab exteris oblatos col-legit, nec non in Suecicae académiae commentariis con-tinentur,

## XVI

tinentur, documento sunt. Interim nec merae fuerunt et in contemplatione partium, a se artificiose separatarum, positae tantum animaduersiones, sed ex iis etiam quemnam usum habere soleat in corpore humano miranda fabrica, luculenter deduxit. Intelligebat enim, quae omnium peritorum medicorum est sententia, corporis nostri partes cunctas in uno aliquo fine et communi quidem obtinendo conspirare, et anatomen, totam cognitam sine physiologica consideratione examinem esse atque nulli habendam, licet haec ex priore doctrina fundamenta haurire debeat. Euenit inde, ut sinuum et emissariorum durae matris usum, alibi vero sanguinis, in hepar embryonis per umbilicalem venam infusi, necessitatem, deriuationem puris ex pectore in bronchia et similia plura ex dissectionis phaenomenis diiudicaret, vel sententias receptas cum his conferret, collatas studiosius pensitaret, et veritatem ubique sectando prosequeretur.

Haec autem fundamenta illa sunt, quibus profunda innititur solidaque scientia et dissectionio ante omnia, eo, quo diximus, modo, pertractata, idoneum in exercenda medicina virum reddit.

Non tamen in ea tantum, quae consiliis iuuat, sed in efficaciiori etiam medicina, quae manu medetur, tanti est anatome usus et praestantiae, ut ad eam addiscendam et perficiendam haec neglectum sui per omnem vitam vindicet. Sed huius etiam doctrinae amore ita capiebatur **GUNZIVS NOSTER**, vt eam et commendaret

ret saepius, et ipse, occasionibus id requirentibus, exerceret. Hinc ea, quae crudelia quidem, in salutem autem corporis usurpanda sunt, auxilia, instrumentorum nempe, quae dicuntur, apparatus sibi comparabat elegantem et sumtuosum, demonstrabat usum docendo discientibus, variorum prerogatiwas et emendationes proponebat in huius rei caufsa elaboratis specialioribus tractationibus. Nec harum quidem paucas nobis reliquit: herniarum enim omnium naturam et indolem plenius peruestigauit, nec quicquid de iis afferri in vniuersum potest, sed, quae de illis a se animaduersa sunt, proposuit. In quarum disquisitione verarum sic nominatarum genera dilucidauit omnia, et vinciturarum suppeditauit genera talia, quae molesti morbi periculum aequa ac incommodum possunt auertere, et demonstrauit quod, qui saepius occurrit, morbus multis etiam solet negligi modis, accurata attentione dignus a circumspecto habitus viro, ita fere in gratiam redeat cum medicis, ut magna cum facilitate superetur. Hoc autem simul exemplo declarauit N O S T E R in iis, quae constantiores putantur notis, non deesse, quae fallere possint, quarum nonnullas in specimine dedit academico expositas de entero - epiplocele, post demum edito. Quum etiam pro corporis humani indole in succis nostris heterogeneae quaedam fluent moleculae, quae resistentiam vitae, ab illa tamen integra facile adhuc superandam, creent, per morbum autem in locis idoneis congregiantur haud aegre, nec non in molem concrescant duram et renitentem, calculos

## XVIII

puta, constituant, et symptomata excitent periculosa; eam itaque ob rationem maiore debeant expurgari cum cura: haec vero curandi ratio in vesica vrinaria operosa sit, nec nisi per exsectionem facile perficiatur: huius tandem, quum variae solertissimorum chirurgorum prostant methodi; omnium quotquot antiquior et recentior inuenit aetas, indefesso studio pensitauit, et earum quidem fusam historiam inseruit B. Platneri, olim nostri, institutionibus chirurgiae, quod non minus laudi eidem cessisse arbitramur, quum ille, chirurgorum nostrorum facile princeps, se neminem, cui ob labefactatam suam valetudinem hanc committeret prouinciam, inuenire posse idoneum magis ipse fassus sit. Recentiorum porro in singulari libello, Fouberti, Garengeoti, Percheti, le Dran et le Cat methodos, Gallofrancorum celebrium chirurgorum, ita disquisiuit, vt ex his aliquam, indagatione facta tutam magis et optimam curandi viam, quae laesiones periculose vulneratarum partium praecaueat, proponeret, quam nec sola, vt aliquando fit, contemplatione niti, sed naturae respondere, variis, super hanc rem in cadaueribus institutis, sectionibus nobis comprobauit, quibus me olim discipulum post amicum adstisse gaudeo et depraedico.

Quamuis haec nunc luculenta sint et veritatis plena de peritia non communi chirurgiae B. GVNZII testimonia, quae non male, angustis licet limitibus circumscriptam eius aetatem, collocatam fuisse monstrant, noluit tamen reliquas externorum malorum curationes, intactas relinquere

relinquere nec sigillatim easdem perquirere. Staphyloma itaque, seu, quam hoc nomine comprehendit, intumescentiam corneae in oculo tunicae, quoad caussas et sanandi modum speciatim expendit, suffusionis autem variam naturam ita scrutatus est sollicite, ut omnium corporum opacorum, quae corneam tunicam inter vitreumque humorem oculi nascuntur, visum, siue ex parte impediant, siue tollant omnem, genesin et remouendi modum, argumentorum robore firmatum, doceret, immo, ne errandi caussa suppeditetur, aptis etiam additis iconibus illustraret. Nec deseruit eum inter grauissima negotia huius doctrinae amor etsi illa laboris et iudicii sit plenissima, sed ad nobilissima magis facinora perpetranda eum excitauit longe acrius, ut nouo etiam specimine, paucos ante dolendam mortem, menses, illius cognitionis, quae anatomes subtilius pertractatae, immensos fructus carpere ostendit, familiariter eum cum illa versatum fuisse patefaceret, ozaenam maxillarem, sordidum morbum et dentium vlcus, describeret, et, quam circumspectum in disquirendis, diiudicandis tollendisque iisdem deceat medicum, proposito exemplo adhortatur.

Sed iam video, AUDITORES OMNIUM ORDINVM HONORATISSIMI, vices vos dolere cordati hominis, assidui medici, intrepidi chirurgi, cui cum eiusmodi conflictandum fuit humanis miseriis, quae affigere et contristare debeant omnes, arcere autem sui tantum curae intentos. Putarim etenim quemcunque

## XX

vestrum, me etiam non monente, intelligere, taedium  
nauseamque secum habere, et stomachum mouere de-  
bere non considerationem tantum dolentis hominis, sed  
propriorem etiam eius accessum et applicationem reme-  
diorum integrae sanitati hominis, qui alios iuuandi nil  
sibi prius putat nihilque antiquius, insidias struere, effi-  
caces et vix cauendas. Si tamen et tunc indefinenter  
laborauerit aliquis, nunquam officii obseruati ratio ipsi  
poterit inhonorifica existere. Homines iam natos et  
aliorum in adiumentum datos, ea attinent, quae ab ILLV-  
STRI GVNZIO suscepta nunc retulimus officia, inter  
quae certe et illud referendum est, facile praestantissi-  
mum, internorum morborum sedes recte perscrutari et  
aptis repurgare auxiliis, quod quidem quam sancte cul-  
tum etiam a NOSTRO fuerit, ad vos certe dicen-  
dum non est. Quos enim latet, carissimam SVMMI  
PRINCIPIS valetudinem concreditam illi fuisse, et  
ita, diuini numinis gratia conseruatam, ut haud inter-  
rupta ratione sapienterque sceptrum regiminis molesti  
gubernare eum posse exultemus. Loquuntur tot princi-  
pes, qui eius consiliis se se firma concredebat animi  
confisione, testantur et plures inter nostros cuiuscunque  
fortis homines, quibus contingebat esse tam felicibus,  
ut eius suavi prudentique scientia in aerumnis variis le-  
niti, et confirmati recedere possent. Vnicum autem  
supereft, quod nunc non praeterire possum, et in quo  
enarrando, meam, si patientia vestra abutor, temerita-  
tem, vestram excusaturam esse humanitatem spero, quod  
circa

circa nascendum versatur hominem. Hic in suis erga-  
stulis contentus vix non semper plerisque liber incom-  
modis viuit, in ipso, in hanc vitam ingressu haud raro  
grauioribus premitur et prudenti oculataque dirigendus  
est manu. Quam felix ille sit dicendus, qui imperitae  
manus effugerit facillime inducendum periculum,  
omnes experimur, quos sanos nasci licuit, quam lau-  
dandum vero studium eorum sit, qui in eiusmodi casibus  
suppetias ferunt exoptatas, ipsa res loquitur: parien-  
tium autem situm commodum esse debere, et illum mul-  
tum rem facilitare docuit N O S T E R, nec non quanta  
sit inde in ciuium salutem redundatura vtilitas euictum  
dedit.

Sed desisto iam, praecipua tetigi, etsi, quod ab  
initio professus sum, dignitatem dicendorum meo non  
sim assecutus sermone. Tanta certe est, ni displicet,  
A U D I T O R E S, aequa pensitare lance, meritorum con-  
tinuis laboribus, perugiliis et lucubrationibus parta co-  
pia N O S T R I G V N Z I I, vt summis in arte nostra viris,  
iam vix inferior, breui fuisset comparandus, si omnium  
sapientissimo numini eum hominibus voluisse diutius in-  
teresse. Stupore conuellimur, comparando inter se,  
leuiter tantum, dierum illorum, qui laborum suscipien-  
dorum largiuntur intelligentiam, intellectum acuunt et  
ingenium perficiunt, numerum, cum diuersorum per-  
actorum adeo feliciter negotiorum varietate, quibus  
perferendis aliis vix seculum sufficeret, cuius tertia tan-  
tum et quod excedit, pars, N O S T R O concedebatur.

## XXII

Num itaque senis , quem vulgus celebrat , gloriam sit consecutus , vel talis ipsi tribuenda sit , vel dedecori vita citius terminata sit futura , ipsi iam iudicate  
RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE AVDITORES HVMANISSIMI . Memoria fane <sup>..</sup> GVNZII NOSTRI perpetua erit , manebit vsque senilis adhuc vegeta , futuris etiam seculis eius singularia merita demonstratura , quae leui licet rudique penicillo me adumbrasse laetabor .

Sentio quidem , meum nunc paulisper leuatum fuisse animum , cum eum demum desiderare debeamus virum , cuius laus nostris infixa haerebit medullis , sentio et vos PATRES CONSCRIPTI , in eo acquiescendi inuenire caußam , quod talis tantum nobis ereptus sit , qui perenniora scientiae stabilioris iecerit fundamenta : praesentio tamen intolerandam fecisse iacturam eam , quae vitae molestias aequa ac delicias communi cum eo prudentia ferebat , moestissimam viduam , cui tamen in bonae spei filiis imaginem fistere voluit diuina clementia , quae paternas referat virtutes , partam patris tueatur gloriam , et reflorescens nomen semper ostendat .

Quamuis autem omnes , qui veram aestimant sapientiam , singulique mecum lugeant , quamuis noster praecipue ordo amicum sibi lugeat consiliarium , quamuis amici fidelem lugeant socium , luctus tamen leuamen meritorum affert recordatio . Sancta eius memoria , quam etiam recolere nos perpetuo erudita adhortantur monumenta , quibus nempe et sibi et nobis et aliis vtilissimus

## XXIII

lissimus euasit, perennis erit et immarcescens. Habe-  
bunt inde et medici et vos, suauissimae deliciae, com-  
militones optimi, normam, quae ad recte beneque  
agendum impellat, vitamque nostram dirigat, et mortis  
arceat quamcunque ignominiam.

Pietas autem me monet, vt eam etiam, quam  
hodierna praesentia demonstrasti, RECTOR A CA-  
DEMIAE MAGNIFICE AUDITORES OMNIVM  
ORDINVM HONORATISSIMI singularem beneuo-  
lentiam et meo, et mei ordinis nomine significem, non  
honorificentissimam tantum, sed solatii etiam plenissi-  
mam extare, quae facilius ferre acerbissimum casum  
doceat. Faxit Deus, vt arctum, quod singulos ligat,  
amicitiae vinculum, irresolubile, meritorum celebratio-  
ne venerandum, sero demum rumpatur. Sic enim et  
sapientiae nostra in academia amor duratus est in  
aeternum.



